



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Quæst. 213. Quid præterea generatim notandum sit circa approbationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

cipere jurisdictionem, controvertunt Doctores, ac licet utraque sententia olim videri potuerit probabilis, post decretum tamen Urbani VIII. Anno 1628. apud Lug. n. 29. negativa omnino tenenda est. V. *Aversam* q. 16. sect. 8.

A D D E N D A.

Quest. 213. *Quid præterea generatim notandum* 1486
si circa approbationem. & seqq. §. 1. Hæc est distinctio inter approbationem & collationem jurisdictionis, quod approbatio sit actus intellectus seu judicium, quo Episcopus vel Superior censet hunc Sacerdotem esse idoneum ad audiendas confessiones: è contrà collatio jurisdictionis est actus voluntatis, quo superior dat potestatem in suos subditos ad audiendas illorum confessiones; quia autem non vult, ut aliquis non idoneus audiat, hinc collatio jurisdictionis requirit approbationem velut conditionem saltem futuram, ut cum communi *Sporer* n. 666.

Objicies. Si approbatio sit aut requirat judicium de idoneitate, ergo si Episcopus externè tantùm approbaret eum, quem internè judicat esse idoneum, ille invalidè absolveret. *Bo-nac.* concedit seq., sed probabiliùs negant *Suar.* & *Lugo* d. 21. n. 25. quia *Trid.* tantùm loquitur de judicio externo, quod consistit in verbis illud significantibus: Et ita Judex dicitur ferre sententiam validam in foro externo, licet contra conscientiam & judicium internum pronunciet.

§. 2. Ad validè absolvendum sæculares præ- 1487
 requiritur approbatio Episcopi, nam *Trid. sess.*

23 c. 15. De Ref. ait, *Quamvis presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, qua gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemoriali non obstantibus.* Idem statuerunt multi Pontifices, uti constabit ex dicendis. Dixi, ad absolvendum sæculares, nam nihil innovatum est circa Confessarios Regularem, uti cum communi Lugo n. 2. Aversa q. 16. s. 7. Sporer n. 666. ad quorum confessiones audiendas sufficit designatio Superioris: quod Aversa extendit etiam ad Confessarium Novitiorum, cum in favoribus communicent cum Religiosis. Quid autem jure novo statutum sit circa confessiones Monialium, dicetur à n. 1528.

1488 §. 3. Tridentinum præcipit quidem approbationem gratis dari, probabilius tamen est cum Suar. & Lugo n. 26. fore validam, licet detur non gratis, quia quamvis ex verbis Tridentini colligatur præceptum, non tamen continetur irritatio: Et saltem fiet suppletio propter errorem communem, secundum dicta l. 6. p. 1. à n. 112.

1489 §. 4. Videtur nunc tenendum, quod ad absolvendum à venialibus, prærequiratur approbatio Ordinarii, nam licet antehac ab omnibus ferè cum Busenb. supra supponeretur tanquam certum, quod facultas absolvendi à venialibus esset in Ordinatione concessa omni Sacerdoti, vel jure divino, uti volebat Vasq., vel jure ecclesiastico supposita immemoriali consuetudine, ta-

tamen nunc aliter statuit *Innoc. XI.* in Decreto de Cômmissione quotidiana, quod retuli l. 6. p. 1. n. 665. ubi sic præcipit Ordinariis, *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato*, ergo talis absolutio est saltem illicita. An autem sit valida, est incertum, negant aliqui cum *Platelio*, sed probabilius affirmant *Carden.* d. 2. c. 6. à 9. & 10. *Sporer* n. 667. quia ex hoc, quòd Pontifex tantum velit prohiberi & non permitti, non sequitur tolli jurisdictionem vel irritari absolutionem.

§. 5. Sacerdos non approbatus non potest absolvere à mortalibus dubiis, *Mendo* d. 10. à n. 49. Estque etiam probabilius cum *Moya* d. 7. q. 1. n. 10. contra *Croufers* & alios, si quis sola mortalia, etiam bonâ fide, confessus sit non approbato, non esse validè absolutum: si tamen addidisset veniale aut antehâc confessum, probabilius est fore ab hoc directè absolutum, & ab aliis mortalibus indirectè, cum obligatione ea postmodum directè subjiciendi clavibus apud alium approbatum.

§. 6. Quamvis Ordinarius possit non admittere ad examen pro approbatione, si tamen admiserit, non potest absque injustitia negare approbationem digno, *Lugo* n. 49. *Gorm.* p. 2. n. 361. Ratio est, quia intervenit quasi contractus, uti aliàs fit in concursu, quo dicitur, *Subjicio me examini eâ conditione, ut approber, si inveniar dignus: examinabo te, ut approbem, si inveniam dignum.*

§. 7. Justæ causæ approbandi tantum ad tempus sunt, si nunc sit necessitas habendi plures Confessarios, quæ postea cesser: si pro nunc habeat quidem sufficientem scientiam, sed me-

ritò desideretur major ad approbationem perpetuam: si prudenter timeatur, ne habitâ semel perpetuâ approbatione negligat studium: ad probandum, an principia generalia bene applicet in praxi, vel an non sit fortè heteroclitus, nimiùm laxus vel rigidus. Negari non potest ex hoc, quòd approbandus jurare nolit se non u-
furum certis opinionibus probabilibus, quia hæc conditio est irrationabilis & insolita, *Pignat. t. 8. conf. 15.*

1493

§. 8. Fieri potest solis verbis, *Lugo n. 26.*, at expedit fieri scripto, ut certius constet de ea & de modo, quo concessa est.

1494

Q. 214. Quid addendum sit circa potestatem approbandi. R. seqq. §. 1. Nuntium Apostolicum posse quoscumque Sacerdotes pro sua Provincia approbare, tenent multi: Tuschus v. Legatus concl. 158. ait: Legatus Apostolicus in sua Provincia habet ordinariam jurisdictionem. Quidquid potest Episcopus in sua Diœcesi respectu jurisdictionis, potest Legatus in sua Provincia, hoc excepto, quòd Capitulum potest alienare cum consensu Episcopi, non Legati. Similiter loquuntur Azor p. 2. l. 5. c. 27. q. 5. Barbosa in Collect. ad l. 1. tit. 30. ad Cap. Cum non ignoretis. n. 2. Gonz. ad Reg. 8. Cancell. Gl. 25. nu. 15. Rebuff. Praxi benef. tit. De union. num. 24. Pirhing l. 1. t. 30. n. 4. Wagner. in Decret. l. 1. tit. 30. ad c. 1. Nota 2. Idem tenent Averfa De Sacram. q. 46. s. 6. n. 7. Pontius De Matr. l. 5. c. 10. n. 7. Sannig ad l. 1. tit. 30. Viva De Jubil. q. 9. a. 4. Hinc inferunt Gob. & Less. in Auët. v. Confessarius casu 1. Nuntium posse Superiori regulari communicare potestatem approbandi, cum potestas illa sit ipsi ordinaria. Similiter docet Pelliz. t. 6. c. 2. n. 81. Legatum